

credunt: propterea q̄ plurima: quæ diximus flumina eademq; maxima
in hoc pelagus influunt uelut in lacum infero longe minus: ut per mul-
ta passuum milia dulcescat. Apparet hoc est ex Euxino ponto nobilissi-
morum piscium feracissimo. In quem duo supra uiginti maxima ca-
dunt flumina Ister præcipue Thanaisq; ut uix appareat salsus. Qui
uero prisces his aluntur stagnis: Sapore longe omnibus præstant.

Destituuntur magnitudine: Siue q̄ mare natura maiores procreet. Si
ue q̄ assidua piscatione exhausti stagna neq; crescere ad naturalem
mensuram permittuntur. Apricatur hic maxima auium palustrium
multitudo tam uario genere q̄ campestres. Quo fit ut aucupiū exerce-
ant studio non mediocri. Sal uero nullis aquis melior natura conge-
lat. Et hunc quæstum: nisi maximus tum fuisset: non notasset Cassio-
dorus tam diligenter epistola: quam ad Venetos scripsit. Nunc dice-
re satis fuerit propter salinas tuendas conseruandasq; maiores pluri-
ma& maxima cum finitimiis bella gessisse. Litorum quoq; haud sper-
nenda feracitas est. Olerum omnis generis copia: par nunc etiam tantę
ciuitati. Conseruantur non minus ferme gelida hyeme q̄ estate.

Quod eo mirandum magis: Quo omnibus sunt uentis & tempestati-
bus obnoxia. Studio tamen & industria omnia quæ diximus maxi-
ma ex parte elaborata. Hæc autem de quibus scribimus si forte exi-
lia uidentur & humili: non tamen omittenda duximus qui & noua de-
scribimus: & raro alibi uisa.

AERIS Temperies saluberrima ueterum scriptorum testi-
moniis celebrata. Nam præterq; q̄ a nonnullis memorie
datum. Rauennam potissimum delectam: Vbi gladia-
tores & membris firmandis & augendis uiribus operam
darent. Vitruvius nobilis in suo genere scriptor non asserit id solum:
sed affert etiam eius rei causas. Nam posteaq; descripsit quales esse
paludes oporteat: uel natura: uel studio quibusq; causis salubres
reddatur. Exemplar inquit huic rei sunt gallice palludes que circum Altium:
Rauennam & Aquileiam aliaq; que i eiusmodi locis municipia sūt
proxima paludibus q̄ his ratiōibus habet incredibilē salubritatē. Fluxu
quoq; aquarū ac refluxu tū agitatur & expurgatur aer: tum quicquid